quam ſolam ſpectat inſtituere, & erigere religiones, eiſque vovendi normam præſcribere (ut *n.* 15. probavimus.) Ergo non ita deſideratur ſolemnitas voti ad ſtatum religioſum verè, & propriè conſtituendum, quin poſſit Eccleſia ſua conſtitutione veram aliquam religionem cum ſolis votis ſimplicibus approbare. Nec obſtant in contrarium adducta, *n.* 22. Quia illi textus non decidunt religionis ſubſtantiam in ſolis votis ſolemnibus conſiſtere: nec ii Doctores illa expetunt, ut non poſſit quiſpiam ſolis votis ſimplicibus ligatus effici verus religioſus. Sed referunt id quod tunc temporis contingebat: tunc enim nullus erat verè religioſus, niſi votis ſolemnibus adſtrictus: quia cum illis ſolis inſtituerat Eccleſia religiones. At non decernunt id eſſe de illius ſtatus eſſentia, nec poteſtatem auferunt Eccleſiæ inſtituendi novas religiones cum ſolis votis ſimplicibus. Sicut, & modò poſt allegatam *Gregor. XIII. Extravagantem* dicerent veriſſimè; nec illi contravenirent, nullum poſſe eſſe verè religioſum aliorum ordinum, niſi ſolemni profeſſione emiſſa. Quia non per id aſſererent vota ſolemnia, quod in nulla alia religione admiſerit hucuſque Romanus Pontifex verum ſtatum religioſum abſque votis ſolemnibus. Quod amplius probabitur, *num. ſequenti*.

26 Hinc deducitur, omnino recedendum eſſe a ſententia, *n.* 23. relata, dicente emittentes vota in Societate Jeſu, poſt biennium novitiatus non eſſe religioſos ex ipſa rei natura, ſed ex ſolo privilegio. Primò, quia apertè eſt contra *Extravagantem aſcendente Gregorii XIII.* quatenus definit illos eſſe verè, & propriè religioſos, non ſecùs quàm profeſſos cujuſcumque religionis. At ſi ex ſolo privilegio, & non ex ipſa rei natura fierent religioſi, longè aliter eſſent religioſi, quàm profeſſi, cum profeſſi ſint ex natura rei religioſi: & ita potiùs dicerentur religioſi inſtar profeſſorum, quàm non ſecùs quàm illi. Sicut latum eſt diſcrimen inter nobiles jure ſanguinis, & nobiles ratione ſolius privilegii. Quippe illi ſimpliciter, & propriè dicuntur nobiles; hi autem ſolùm impropriè, & ſecundùm quid, eo quod nobilium juribus ex privilegio gaudeant. Secundò, quia nullus poteſt eſſe religioſus ex ſolo naturæ jure, ſed eſt opus accedat jus eccleſiaſticum religionem approbans (ut *num.* 15. probavimus.) Ergo eatenus aliqua eſt religio, & membra illius veri religioſi, quatenus vovent juxta modum a Sede Apoſtolica illi religioni præſcriptum. Quare ſi præſcribat, ut ſolemniter profiteantur finito novitiatu, ſoli ſic profitentes erunt veri religioſi. Si tamen præſcribat, ut ſola ſimplicia vota emittant, ac per illa deſinant eſſe novitii, erunt hi verè & propriè religioſi, non ſecus ac profeſſi; cum tota hæc res pendeat, & natura ſtatus religioſi, votorumque ſolemnitas, illiſque reddi voventes inhabiles ad rerum dominia, & matrimonium, ex ſolo jure eccleſiaſtico, hoc modo, vel alio religiones approbante. Tertiò, quia de eſſentia veri ac proprii ſtatus religioſi non ſunt vota ſolemnia: ſed eſſe certam vitæ conditionem, qua vivitur in caſtitate, paupertate, & obedientia, voto firmatis, cum quadam immobilitate, & externa cæremonia, per quam res pateat Eccleſiæ, & ſub vivendi inſtituto approbato tamquam verè religioſo per Sedem Apoſtolicam, atque ſub alicujus Prælati juriſdictione ut conſtat ex dictis a *n.* 16. *uſque ad* 20. *& n. præced.* Quæ omnia æquè competunt dictis religioſis Societatis Jeſu in ea vota biennii emittentibus, ac reliquis profeſſis. Quartò, quia per ea vota fit vera traditio, verè reddens perſonam ſubjectam, & mancipatam arbitrio, & poteſtati ſuperioris, ita ut minimè in poſterum ſit ei integrum abſque apoſtaſiæ labe recedere ab eo inſtituto; & vota illa acceptantur a ſuperiore nomine Dei, ex Sedis Apoſtolicæ facultate; ut omnia hæc teſtatur *Gregor. XIII. in ſua illa Extravag. aſcendente*. Nec obſtat rationi, & perpetuitati ad ſtatum petitæ, poſſe hos a Societate expelli, tuncque a votis liberos manere, quia ad immobilitatem, quam ratio ſtatus petit, ſatis eſt, ne in illo conſtitutus poſſit propria ſponte reſilire. Sicut ſervus in vero, & immobili ſervitutis ſtatu eſt, eo quod reo ſe liberare propria ſponte nequeat: quamvis poſſit ex domini beneplacito liber effici. Quod fortiùs in dictis religioſis procedit, qui non ex ſolo Generalis beneplacito poſſunt dimitti, ſed concurrente juſta expulſionis cauſa. Nec obſtat etiam paupertati religioſæ, eos retinere bonorum dominium ut *num.* 13. probavimus. Tandem non obſtant in contrarium, *num.* 33. adducta. Non primum prioris ſententiæ; eſt enim diverſa ratio. Nam cùm jure communi decretum eſſet, per ſolum votum ſolemne dirimi ſubſequens matrimonium *cap. unico de voto, in* 6. lex privata idem concedens votis ſimplicibus Societatis Jeſu, dicitur jure optimo privilegium. At nullibi jure cautum erat, nullum effici verè religioſum abſque votis ſolemnibus: ſed tantùm jura narrabant quod antiquitus eveniebat, nempè, non acceptare tunc Eccleſiam ſtatum religioſum abſque votis ſolemnibus, ut *num. præcedenti* diximus. Quare lex eum ſtatum poſtea cum votis ſimplicibus admittens non dicitur privilegium: utpote quæ nil contra jus commune indulget. Neque etiam obſtat ſecundum, quia per illud verbum (*indulgere*) intellexerunt (*ſtatuere*) ut ſtatim ſe explicarunt. Non obſtat etiam poſterioris ſententiæ fundamentum: quia ſatis, *num.* 6. probavimus nullam eſſe differentiam eſſentialem inter utrumque votum, ſed ſolo jure eccleſiaſtico extrinſeco differre.

27 Secundò deducitur, cautè intelligendos eſſe Doctores, *num.* 24. relatos, dum dicunt eſſe duos gradus ſtatus religioſi, alterum perfectiſſimum, qui ſolis votis ſolemnibus conſtituitur: alterum verum, & proprium, ſed non ita perfectum, qui votis ſimplicibus conſtat. Quippe intelligendi ſunt de perfectione accidentali, & non neceſſaria ſtatui religioſo: ea enim major eſt in votis ſolemnibus, utpote per quæ magis perpetuò, & immobiliter traditur vovens religioni: At de perfectione eſſentiali id verum non eſt; Nam tunc eſſentialiter eſſet imperfectior ſtatus religioſorum Societatis Jeſu ſola ſimplicia biennii vota emittentium. Quod clarè pugnat cum *Extravag. aſcendente Gregor. XIII.* ubi decrevit, eos eſſe verè, & propriè religioſos, non ſecus ac profeſſos.

28 Tertiò deducitur, religionem Societatis Jeſu, & quamcumque aliam cum ſolis votis ſimplicibus a Sede Apoſtolica admiſſam, fore veram, & propriam, ac omnibus ſuis numeris abſolutam religionem, quod attinet ad ſubſtantialem religionis perfectionem, & ſi in iis nulli profeſſi ſolemniter reperirentur. Quod ſatis ex dictis conſtat, cùm ſatis probaverimus, *num.* 22. & *num.* 26. ad ſtatum religioſum vota ſolemnia non deſiderari. Et ita optimè docet *Vaſquez* 1. 2. *qu.* 96. *art.* 4. *diſput.* 165. *cap.* 9. *num.* 105. *&* 106.

29 Demum ſupereſt duplex brevis difficultas. Prior eſt, an per ſimplicia biennii vota, aut coadjutorum formatorum, emiſſa in Societate Jeſu, diſſolvatur matrimonium ratum præcedens? Affirmant aliqui pauci Theologi, quos tacito nomine refert *Vaſquez ead. diſput.* 165. *c.* 10. *in initio*, ubi & eorum fundamentum refert. Sed jure optimo contrarium probat *toto eod. cap.* 10. Quod idem ſuſtinent è noſtra Societate *Patres Petrus Ribadeneira lib. de ejuſdem Societatis inſtituto c.* 19. *§. el primero es, Henriquez lib.* 11. *de matrim. c.* 8. *n.* 7. quod & nos diximus *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 18. *nu.* 7. Quod inde conſtat, quia hæc matrimonii rati diſſolutio per profeſſionem ſequentem, aut eſt ex Chriſti Domini noſtri privilegio, aut ex jure eccleſiaſtico ut latè probavimus *lib.* 2. *de matrim. tota diſput.* 19. At nullibi in jure invenitur hoc conceſſum, niſi ſoli profeſſioni ſolemni. De ea enim jura ſemper agunt, cùm hujus diſſolutionis meminere *c. deſponſatam, & c. decreta legalia* 27. *q.* 2. *Extravag. Joann. XXII. antiquæ, de voto c. ex publico, & c. ex parte de converſ. conjug. & Trident. ſeſſ.* 24. *de matrim. canone* 6. Immo nec ſolemni ordinis ſacri voto id conceditur; ut deciditur ex *extravag. antiqua*.

30 Poſterior difficultas, eſt an ea biennii vota, & coadjutorum formatorum, ſint conditionalia? Ratio dubitandi eſt, quia in conſtitutionibus ejuſdem Societatis Jeſu, *in examine c.* 7. *n.* 1. dicitur, votum, quod emittunt prædicti religioſi poſt biennium probationis, ingrediendi Societatem Jeſu, habere tacitam conditionem, ſi admittantur a Generali: & alia vota ab eis emiſſa habere hanc tacitam conditionem, dum Societas eos retinendos judicaverit. Quam eamdem conditionem dicitur intelligi in votis coadjutorum formatorum, *p.* 5. *earumdem conſtitutionum c.* 4. *in commento, literis B. & D.* At dicendum eſt, id votum ingrediendi Societatem non eſſe conditionale. Alia autem vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, non ſunt ſimpliciter conditionalia, cùm ſtatim perfectè obligent ad ea in perpetuum obſervanda. Quod alienum prorſus eſt a conditionis natura, cujus eſt totam obligationem uſque ad ejus eventum ſuſpendere. Sed tantùm ſunt ſecundùm quid conditionalia, nempè, quoad perpetuitatem ex parte Societatis: includunt enim eam conditionem, ut tantùm obligent, dum Societas eos retinendos judicaverit. Quæ conditio non inerat ex natura rei his votis. Quod inde conſtat, quia ſi aliquis in Societate Jeſu hæc vota emiſiſſet, non ſecundum illius formam, expulſus a Societate Jeſu hæc vota emiſiſſet, non ſecundum illius formam, expulſus a Societate non liberaretur eorum obligatione, ut dicitur in eiſdem *conſtit. p.* 2. *c.* 4. *nu.* 3. Tunc autem non emitteret ſecundùm ejus formam, quando in iis emittendis non adderet illam partem, in qua eſt conditio dicta. Omnia hæc intelligendo juxta ipſius Societatis conſtitutiones. Dum autem dicitur per dimiſſionem non manere hunc liberum ab his votis; intelligendum eſt ex vi dimiſſionis, ut maneant alii, qui cùm ea tacita conditione vovent, nempè, intelligendo omnia juxta Societatis conſtitutiones. Nam ſi promitteret ea in Societate ſe ſervaturum, intelligeretur dependenter a retentione; & ita de hujus obligatione, quando ſponte tempore novitiatus exit, aut tunc, poſtue vota biennii dimittitur, judicandum eſt juxta ea quæ diximus, *lib.* 4. *c.* 16. de habente votum perſeverandi in religione, & ab ea exit, ab eave dimittitur *n.* 81. *& n.* 106. Quia hic votum perpetuò in ea perſeverandi, & in ea hæc ſervandi emiſit. Et in dubio crederem cum hac dependentia emitti: quod in ipſa Societate emittantur, & intendendo perſeverare in ipſa.

CA-

CAPUT II.

An Pontifici integrum ſit in quibuſcumque votis ſolemnibus diſpenſare.

SUMMARIUM.

Pontifex poteſt in ſolemni ordinis ſacri voto diſpenſare? n. 1.
Deſideratur ad id cauſa publica? n. 2.
An valida ſit ea diſpenſatio abſque juſta cauſa conceſſa, peccetque tunc ſacris initiatus ineundo matrimonium, & petendo, & reddendo debitum, & illud ſit validum? n. 3.
An poſſit Pontifex diſpenſare in ſolemni caſtitatis voto, quod emittitur in religionis profeſſione? n. 4.
An deſideretur ad id cauſa utilitatis publicæ? num. 5.
An poſſit diſpenſare cum profeſſo, ut matrimonium ad tempus ineat: vel ea lege, ut habita prole redeat ad monaſterium? num. 6.
An ſi abſque cauſa juſta diſpenſet, teneat matrimonium, poſſitque licitè iniri, & eo inito peti, & reddi debitum? n. 7.
An poſſit in ſolemni paupertatis voto diſpenſare? Refertur quædam ſententia? num. 8.
Explicatur ſententia Auctoris: & an valeat ea diſpenſatio abſque cauſa juſta conceſſa? n. 9. *&* 10.
An poſſit diſpenſare in ſolemni obedientiæ voto: & valeat abſque juſta cauſa conceſſa diſpenſatio? num. 11.

1 DE hac re latè egimus *lib.* 8. *de matrim. tot. diſput.* 8. quod attinet ad votum ſolemne caſtitatis, ſed ne aliquid hic deſideretur, ſummatim complectemur quæ ibi latius diſputavimus, remittentes illuc probationes, & Doctores. Atque addemus quid de ſolemnibus paupertatis, & obedientiæ votis cenſendum ſit. Prima concluſio ſit. Si loquamur de ſolemni caſtitatis voti annexo ordinibus ſacris, concors ferè omnium ſententia eſt, poſſe Pontificem in eo diſpenſare. Hanc probavimus *ea diſp.* 8. *num.* 1. contra paucos ibi relatos contrarium dicentes.

2 Secunda concluſio. Hæc diſpenſatio non redditur licita propter ſolam ſpiritualis boni ipſius vouentis cauſam, ſed petit cauſam publicæ utilitatis. Hanc quoque probauimus *eadem diſp.* 8. *num.* 2. *contra Cajetanum*. Atque ibi *numer.* 3. redarguimus liberum loquendi modum Abbatis in hac re.

3 Tertia concluſio. Si abſque juſta cauſa diſpenſet Pontifex cum ſacris ordinibus initiato, ut uxorem ducat, peccaret graviſſime, at teneret diſpenſatio, validumque eſſet matrimonium. An vero tunc clericus peccaret uxorem ducens, & poſtea petens, vel reddens debitum, ſic diſtinguendum eſt. Si Pontifex abſque cauſa diſpenſet cum aliquo ante ſuſceptum ordinem, ſive in univerſum cum omnibus, quamvis iniquiſſimè ageret, & clericus ille uxorem ducens poſſet petere, & reddere debitum; nec peccaret iniens matrimonium, quando Pontifex diſpenſaret hoc modo in univerſum cum omnibus in poſterum initiandis. Si autem cum uno ſolo eſſet diſpenſatio, an hic peccaret iniens matrimonium; Dicendum eſt idem, quod tradunt Doctores de utente diſpenſatione conceſſa in jure humano abſque juſta cauſa. De qua re latè egimus *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 18. Si autem abſque cauſa diſpenſaret Pontifex cum hactenus promotis ad ſacros ordines, ſive in univerſum, ſiue cum uno: ſuſtinendo ſententiam probabilem dicentem nullum votum annecti ordini ſacro, ſed ex mera Eccleſiæ conſtitutione teneri initiatos ad caſtitatem; tunc quo ad peccatum in matrimonio ineundo, dicendum eſt idem, quod modò diximus, quando diſpenſatio contingeret ante ſuſceptum ordinem. Quia in utroque caſu eſt diſpenſatio in mero jure humano, poſſetque hic poſt matrimonium initum petere debitum, & reddere teneretur. At juxta veriorem ſententiam aſſerentem annecti votum caſtitatis ordinibus ſacris, valeret utique matrimonium: ſed peccaret clericus mortaliter ineundo matrimonium, & poſtea petendo debitum, quamuis reddere teneatur. Quæ omnia probauimus *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 8. *num.* 4.

4 Quarta concluſio. Pontifici integrum eſt diſpenſare in ſolemni caſtitatis voto à profeſſis emiſſo. Hanc latè probavimus *ea diſp.* 8. *n.* 7. contra alios, quos ibi *n.* 6. retulimus.

5 Quinta concluſio. Diſpenſatio hæc, quò licita ſit, indiget publicè utilitatis cauſa, & urgentiſſima. Hanc probavimus *ea diſp.* 8. *n.* 8. contra *Ricardum* ibi *citatum*.

6 Sexta concluſio. Nequit Pontifex diſpenſare cum profeſſo, ut matrimonium ad tempus ineat, nempè, donec habeat prolem, & ea habita ad religionem redeat. Nec ea lege, ut teneatur uxor manente indiſſolubili matrimonii vinculo conſentire, ut prole habita profeſſus ad monaſterium redeat. Hoc probavimus contra multos juriſperitos *eadem diſp.* 8. *nu.* 9. ubi conceſſimus, poſſe diſpenſare ea lege, ut ſi habita prole uxor liberè conſentiat, vel perpetuam juſti divortii cauſam dederit, teneatur ad religionem redire.

7 Septima concluſio. Si Pontifex abſque cauſa juſta diſpenſet cum profeſſo ut matrimonium ineat, non valebit diſpenſatio, nec ſubinde matrimonium, juxta ſententiam tenentem per id votum dirimi jure divino naturali matrimonium. At retenta noſtra ſententia, quam *c. præced. nu.* 6. probavimus, dicente per id votum ſolo jure humano dirimi, valebit diſpenſatio quod attinet ad ſolemnitatem illam voti ſolo jure humano matrimonium ſubſequens dirimentem: ac ſubinde matrimonium tenebit. At erit irrita quo ad vinculum voti jure divino naturali impediens matrimonium iniri. Et ideò peccabit ille lætaliter matrimonium ineundo: ac eo inito peccabit quoque mortaliter petendo debitum, tenebitur tamen reddere. Quæ omnia probavimus *ead. diſput.* 8. *n.* 20.

8 Sed major difficultas eſt de ſolemni paupertatis voto. *Navarr. Commentario* 2. *de regularibus, num.* 17. etſi concedat poſſe Pontificem diſpenſare in ſolemni caſtitatis voto; negat tamen poſſe in ſolemni paupertatis voto: non quidem defectu ejus poteſtatis, ſed quia cum ea diſpenſatio graviſſimam cauſam deſideret, credit talem ſubeſſe non poſſe ad paupertatis votum diſſolvendum: benè tamen ad votum caſtitatis. Matrimonium enim poteſt eſſe neceſſarium in filio Regis profeſſo, ut totius Regni bonum conſervetur: & ideo poterit juſta in eo voto caſtitatis diſpenſandi cauſa dari. At poteſt monaſterio egreſſus, ac matrimonio inito, eſſe Rex cum ſola Regni adminiſtratione abſque ejus dominio. Et ideò non erit juſta diſpenſandi in paupertate cauſa.

9 At verior eſt ſententia, poſſe Pontificem in eo diſpenſare, ſicut in ſolemni caſtitatis voto. Quia non eſt major ratio de uno quàm de alio: eo vel maximè quod multi ſatis probabiliter cenſeant, monachum creatum Epiſcopum liberari paupertatis voto (ut dicemus *infra in tractatu de voto obedientiæ*.) Et ſatis juſta cauſa eſt diſpenſandi in paupertatis voto, quæ juſtam reddit diſpenſationem in voto caſtitatis. Nec enim conforme eſt ſtatui conjugali, & diſpoſitioni neceſſariæ inter liberos, ut illæ ligatus maneat voto arctiſſimæ paupertatis, quale emiſerat in religione: Et ita ſuſtinent *Patres Petrus Ribadeneira in lib. de inſtituto Societatis Jeſu, c.* 18. *§. pero para reſponder, & in ſolutione ad* 1. *Azor. lib.* 12. *inſtit. moral. c.* 7. *q.* 2. *Vaſquez* 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *diſput.* 165. *c.* 9. *n.* 104.

10 Quod ſi abſque juſta cauſa Pontifex diſpenſet, valebit diſpenſatio, & tenebit factum quo ad voti ſolemnitatem reddentem profeſſum incapacem acquirendi dominii, & illius transferendi. Quare verum bonorum dominium acquiret, & in alium id verè transferre poterit. Nam ſolo jure eccleſiaſtico votum ſolemne paupertatis ad hæc inhabilem profeſſum reddit (ut probavimus *c. præced. n.* 9.) Quamvis contrarium dicant aſſerentes eum effectum competere huic voto jure divino naturali. At non valebit diſpenſatio quo ad ſubſtantiam ejus voti paupertatis obligantis jure divino naturali. Et ideò peccabit mortaliter is profeſſus, acceptando, vel transferendo rei alicujus dominium contra id paupertatis votum. Sicut idem diximus *n.* 7. de ſimili diſpenſatione in ſolemni caſtitatis voto.

11 Tandem idem dicendum eſt de ſolemni obedientiæ voto. Poteſt enim Pontifex in illo ex juſta boni communis cauſa, ſicut in aliis votis ſolemnibus diſpenſare. Atque ita docet *Azor. lib.* 12. *inſtit. moral. c.* 7. *q.* 3. Atque multi ſatis probabiliter affirmant de facto diſpenſare in eo, cum monacho facto Epiſcopo (ut tractantes de ſolemni obedientiæ voto dicemus.) Conceſſa autem diſpenſatio abſque cauſa juſta boni communis valebit quoad ſolemnitatem, quæ eſt de jure eccleſiaſtico: non autem quoad ſubſtantiam voti obligantis jure divino naturali; ut in ſimili diximus *n. præced. & n.* 7.

CAPUT III.

Quot modis religionis profeſſio fieri valeat: & quando dicatur profeſſio tacita fieri?

SUMMARIUM.

Profeſſio poteſt expreſsè, & tacitè fieri, n. 1.
An profeſſio exigat verba, poſſintque mutus, & ſimul cæcus, vel cæcus, ſimulque ſurdus profiteri? n. 2.
Profeſſio expreſſa ſolet variis modis fieri? n. 3.
An verba in regula præſcripta ad profeſſionem emittendam, ſint de ejus ſubſtantia? n. 4.
Profeſſio an ſit neceſſariò in ſcriptis facienda? n. 5.
An tacitè profitens poſſit compelli profiteri expreſsè, & religio compelli poſſit ad expreſſam ejus profeſſionem admittendam? n. 6.
An profeſſio poſſit fieri per procuratorem? n. 7.
Explicantur conditiones petitæ, ut facta per procuratorem, valeat? n. 8.
An deſideretur ſcriptura ad hanc procuratoris conſtitutionem, vel unitas ſexus? n. 9.
An ſit neceſſaria certa ætas, vel alia qualitas in procuratore? n. 10.
An valeat profeſſio, quantumcumque intervallum intercedat inter ipſam, & procuratoris conſtitutionem? n. 11.
An neceſſariò debeat profeſſio fieri in monaſterio? n. 12.
Poſt n. 12. *invenies omnia ſummaria, quæ deſunt.*

1 BIfariam profeſſio fieri poteſt, nempè, aut expreſsè, quod contingit, quoties verbo, vel ſcripto emittitur: aut tacitè, quod contingit faciendo aliqua profeſſis

pro-

propria. Atque eamdem obligationem utraque parit: ut conſtat ex *c. vidua, & ex c. ad noſtram, de regular. & ex c. unico de voto, in 6. & ex c. 2. de regular. in* 6. Priùs erga de expreſſa agemus, deinde vero de tacita.

2 Prima concluſio ſit. Profeſſio etiam expreſſa nullis verbis indiget, ſed poteſt nutibus, aut ſcripto fieri quia nullibi reperitur verba eſſe neceſſaria. Quia mutus a natura, qui ſubinde ſurdus eſt, poteſt profiteri. Si enim eſt aptus ad carnale matrimonium ineundum, ut probavimus *lib. 1. de matrimon. diſput. 8. num.* 12. erit quoque ad ſpirituale aptus, *argum. ex c. ſignificatum, de regul.* Præterea, quia non minor notitia obligationis, nec minor conſenſus deſideratur in matrimonio carnali, quàm in ſpirituali. Et ita docent *Socinus ſenior conſil. 61. in præſenti conſultatione num.* 13. *&* 14. *volum.* 12. *Azor. lib.* 12. *inſtitut. moralium, cap. 4. quæſt.* 1. Sed ſicut *ea diſput.* 8. *n.* 12. animadvertimus circa matrimonium carnale, eſt hoc intelligendum, quando mutus ille ita perſpicaci intellectu præditus eſt, ut ſignis edoceri valeat naturam ſtatus religioſi, poſſitque ſignis conſenſum exprimere. Quod eſſe difficillimum diximus ibi, cum auditu careat, quo hanc naturam doceri poſſit: quamvis ſint aliqui ita perſpicacis ingenii, ut ſignis eam percipere valeant. Quod ſi mutus ille eſſet ſimul cæcus, aut quis eſſet ſimul cæcus, & omnino ſurdus, quamvis non mutus, nec hæc a natura habeat, ſed caſu, eſſet incapax profitendi, niſi antequam in hæc incideret, noſſet quid eſſet profeſſio. Sicut idem contra alios diximus in matrimonio carnali *ea diſp.* 8. *num.* 13. Quia mutus ſolis ſignis edoceri valet profeſſionis naturam, quæ percipere nequit, ſi ſimul cæcus ſit. Atqui cæcus ſolis verbis poteſt edoceri, quæ nequit percipere, ſi ſimul ſit ſurdus.

3 Secunda concluſio. Profeſſio expreſſa ſolet variis formulis emitti juxta varia religionum inſtituta. Quandoque enim tria ſubſtantialia religionis vota exprimuntur. Quandoque autem ſola obedientia, aut vita ſecundum regulam illius religionis promittuntur. At clauduntur ibi paupertas, & caſtitas, quamvis non exprimantur, utpotè quæ in regula continentur. Et ita docent *Manuel* 2. *tomo ſumma cap.* 8. *num.* 13. *Azor. lib.* 12. *inſtit. moral. cap. 4. quæſt.* 2. *Emmanuel Sà ſumma verbo, religio num.* 28.

4 Tertia concluſio. Quamvis religionis regula certam profitendi formam præſcribat, non ſunt ea verba ita neceſſaria, ut aliis facta profeſſio ſit irrita: ſed quibuſcumque aliis facta valebit. Atque ita ſic intelligentes eum textum docent *Gloſſa c. porrectum, verb. profeſſio, de regular.* & ibi *Abbas n.* 13. *Gregor. Lopez* 1. 2. *in fine, tit. 7. part. 1. Sylveſt. verbo religio 3. q. 1. & 18. in fine, Roſella verbo novitius n.* 22. & ibi *Armilla n.* 14. *Tabiena q.* 11. *n.* 12. *Angelus verbo profeſſio nu.* 1. *Azor. lib.* 12. *inſtit. moral. c. 7. q. 5. in fine*. Qui benè hoc limitat, niſi regula a Sede Apoſtolica approbata exprimat profeſſionem alia forma factam fore irritam.

5 Quarta concluſio. Profeſſio eſt facienda in ſcriptis. Conſtat ex *c. finali* 20. *q.* 1. Atque ita docent *Gloſſa ibi, verb. ſcriptis, Gregor. Lopez lib.* 2. *verbo, ſe pueda, tit. 7. p. 1. Sylveſt. verbo religio 3. qu. 1. Roſella, Tabiena, Armilla*, ubi allegavimus *num. præced.*

6 Hinc deducitur, profeſſum tacitè poſſe compelli, ut expreſsè in ſcriptis profiteatur, ut in poſterum valeat ejus profeſſio probari, juxta *c. finali* 20. *quæſt.* 1. Cum enim jam ſit religioni obligatus poteſt ab ipſa compelli ad ea præſtanda, quæ jus præſcribit, ut in poſterum profeſſio conſtet. Atque ſimiliter poteſt ipſe compellere religionem, ut expreſſam ejus profeſſionem admittat. Quia obligatio eſt reciproca ipſius ad monaſterium, & hujus ad ipſum: ſuaque intereſt profiteri expreſsè. Quia nequit eſſe Prælatus, niſi expreſsè profeſſus *c. nullus, de elect. in* 6. Hæc docent *Abbas c. cum cauſam n. 7. & 8. de elect. Gregor. Lopez c. 2. in fine, tit. 7. p.* 1.

7 Quinta concluſio. Profeſſio poteſt per procuratorem fieri. Quippe omnia ea quæ per procuratorem fieri non ſunt ſpecialiter interdicta, poſſunt per illum fieri, *l. 1. §. uſus, ff. de procur. & c. poteſt quis, de regulis juris in* 6. At profeſſio nullibi excipitur ex iis actibus, qui per procuratorem fieri poſſunt; ut conſtat ex *Gloſſa l. Pomponius, ff. de procurat. & c. qui ad agendum, de procur. in* 6. in quibus locis cùm caſus exceptos numeret, nequaquam profeſſionis meminit. Atque ita docent *Abbas c. accedens nu. 7. de præb. Roſella verbo novitius nu.* 23. *ubi Armilla num.* 14. *Tabiena quæſt.* 11. *nu.* 12. *Sylveſter verbo religio 3. quæſt.* 15. *Gregor. Lopez lib. 2. in fine, tit. 7. part. 1. Antonius Cuccus lib. 3. inſtitut. moral. tit. 1. num.* 76. *Emmanuel Sà ſumma, verbo, religio num.* 14. *Azor. lib.* 12. *inſtitut. moral. cap. 5. quæſt. 5. Manuel Quæſt. Regular. tomo 3. quæſt. 17. art.* 14. Temperat benè hoc *Azor.* niſi regula contrarium jubeat.

8 Quinque autem deſiderantur conditiones, ut procurator hic validè profiteatur nomine abſentis. Prima eſt, ut habeat ſpeciale mandatum ad profeſſionem emittendam. Et docet *Manuel Quæſt. Regular. tomo 3. quæſt. 17. art.* 13. Quare non ſatis eſt generale mandatum ad omnia negotia, ex expreſſis aliquibus exigentibus ſpeciale. Secunda, eſt, ut ſit mandatum ad profitendum in religione determinata: nec ſufficeret generale ad profitendum in quacumque. At ſatis eſſet, quamvis in ſcriptura mandati non exprimeretur religio, ſi oretenus, aut nuncio, aut epiſtola exprimatur. Tertia eſt, ut procurator per ſeipſum exequatur; nec poterit ſubſtituere, niſi hoc ſpecialiter ſibi committatur. Et hanc docet *Manuel eodem art.* 13. Quarta eſt, ut tempore quo procurator profitetur, non ſit revocata poteſtas. Si enim revocata ſit quamvis ſola actu interno, vel tacitè per factum contrarium, non valebit profeſſio. Quod eſt verum, quamvis ea procuratoris conſtitutio ſit jurejurando ſtabilita, & revocatio ipſum procuratorem lateat, & quamvis ipſum quoque monaſterium acceptans ignoret revocationem. At valebit profeſſio, ſi dum quis mandatum dedit, verè conſenſit, nec revocavit, licèt tempore profeſſionis emiſſæ per procuratorem nec conſentiat, nec diſſentiat, ſed aliis occupationibus diſtentus, tunc oblitus ſit, vel dormiens, vel factus inſanus, dummodo procurator, dum profitetur, ſit ſui compos. Inſuper valebit profeſſio, ſi tempore quo procurator ejus nomine conſentit, habet verum conſenſum is, qui mandatum dedit, quamvis illum non habuerit, ſed fictum, tempore quo mandatum dedit. Quare quocumque tempore intermedio diſſenſus ſit, nil refert, dummodo tempore quo celebratur profeſſio, conſenſus adſit mandatum dantis, ut hæc omnia latè probavimus in procuratore ad matrimonium carnale conſtituto, *lib. 2. de matrimon. diſput. 11. à num. 3. uſque ad* 13. Valet enim argumentum a matrimonio carnali ad ſpirituale (ut ex multis probat *Everardus in ſuis Topicis, loco a matrimonio carnali:*) eo vel maximè quod & eædem rationes militent in utroque quo ad hoc, nimirum, gravitas ſtatus perpetui, indiſſolubiliſque, & maxima libertas voluntatis ad utrumque ſtatum petita. Ultima conditio eſt, ne conſtitutio procuratoris ſit metu gravi extorta; ſicut probavimus *lib. 4. cap. 3. num.* 17.

9 Non tamen deſideratur ſcriptura ad hunc procuratorem conſtituendum: nec refert diverſitas ſexuum, ſed poteſt vir eſſe procurator mulieris ad profitendum, & mulier eſſe procuratrix viri; ſicut utrumque probavimus in procuratore ad matrimonium carnale, *lib. 2. de matrimon. diſput. 11. nu. 14. &* 15.

10 Nec etiam exigitur determinata ætas, aut alia qualitas in procuratore hoc, præter eam, quam jus naturale poſcit ad explicandum nomine alterius conſenſum, nempè, rationis uſus. Quare cujuſcumque ſit procurator ætatis, & qualiſcumque conditionis ſit, dummodo rationis uſum habeat, erit legitimus ad profitendum nomine alterius, ut in procuratore ad matrimonium carnale probavimus *lib. 3. de matrim. diſput. 41. num.* 8.

11 Tandem valebit profeſſio, quantumcumque tempus intercedat inter conſtitutionem procuratoris, & profeſſionem: dummodo prior ille conſenſus, nec tacitè, nec expreſsè revocatus ſit; ut in procuratore ad matrimonium carnale probavimus *lib. 2. de matrim. diſput. 32. num.* 7.

12 Ultima concluſio. Profeſſio non eſt neceſſario facienda in monaſterio, ſed poteſt ubique fieri. Quia nullibi contrarium jubetur. Et ita docent colligentes id ex eo textu, *Gloſſa c. porrectum, verbo monachum, de regular. & ibi Abbas num.* 7. *Henricus c. finali num. 5. qui clerici, vel vov. Angelus verbo profeſſio num. 3. & ibi Armilla n. 2. Greg. Lopez lib. 2. in fine tit. 7. part. 1. Manuel 2. tomo ſummæ c. 8. n. 13. & Quæſt. Regular. tomo 3. q. 29. art. 6. in fine* & conſtabit ex dicendis *c. ſequenti, n.* 102.

SUMMARIUM.

Habitus religionis quotupliciter ſit idem cum habitu novitiorum, vel ab eo diſtinctus, num. 13.
Explicantur conditiones petitæ ad quemcumque profitendi tacitè modum, num. 14. 15. 16. 17. & 18.
Profeſſio tacita ex eiſdem defectibus redditur irrita, ex quibus expreſſa, num. 18.
Quot modis fiebat attento jure antiquo, num. 19.
Qualiter fiat per exercitium actuum profeſſis competentium, num. 20.
An ad id requiratur tridui perſeverantia? num. 21.
An in profeſſione expreſſa ſit opus ea tridui perſeverantia? num. 22.
An deſideretur exercentem eos actus profeſſorum eſſe novitium? num. 23.
Qualiter inducatur per delationem habitus diſtincti patenter ab habitu novitiorum: & an opus ſit perſeverantia tridui? num. 24.
An ſit opus eum habitum in monaſterio deferri? num. 25.
An petatur ea tridui perſeverantia, quando is habitus in morbo ſuſcipitur, aut poſt religionis votum? num. 26.
An ea tacita profeſſio obliget illi religioni, an ſoli in genere? num. 27.
An cum obliget ſoli religioni in genere, ſit votum ſolemne? num. 28.
An religio illa ſpecialis teneatur hunc volentem retinere? num. 29.
An inducatur tacita profeſſio per diuturnam delationem habitus novitiorum patenter diſtincti ab habitu profeſſorum? num. 30.
Quid quando uterque habitus ſola diſtinctione latente ſecernitur, quæ conditiones tunc exigantur? num. 31.
Quid ſi nec patenter, nec occultè ſit uterque habitus diſtinctus? num. 32.
Quid ſi is habitus ita indiſtinctus, eſt communis religioſis, & aliis habitantibus cum eis? num. 33.
An inducatur profeſſio tacita per habitus ſuſceptionem, cum propoſito vitæ mutandæ? num. 34.
An impediatur valor tacitæ, vel expreſſæ profeſſionis per contrariam proteſtationem? num. 35.

An

An poſt Tridentinum ſint ſublatæ profeſſiones tacitæ? nu. 36. 37. 38. & 39.
Quid ſi eſſet in religione ſtatutum, ut poſſint expelli qui expreſsè profeſſi non ſunt? num. 40.

13 HActenus egimus de profeſſione expreſſa: jam de tacita eſt breviſſimè agendum. Quia rariſſimè poſt Tridentinum contingit ſic validè profiteri. Deſerviet tamen, ut poſſit profeſſio expreſſa irrita ratificari profitendo tacitè. Atque primò agemus qualiter jure antiquo profeſſio tacita inducebatur: deinde verò quid novo Concilii Tridentini jure immutatum ſit. Præmittendum ergo eſt (ut colligitur ex *Clem. finali, de regular.* & ibi omnes animadvertunt cum *Gloſſa verbo deinceps, & Abb. c. ex parte, num. 3. de regul.*) quadruplicem eſſe religionis habitum. Primus eſt diſtinctiſſimus: quod evenit quando habitus profeſſorum diſtinguitur à novitiorum habitu, differentia manifeſtè patente; nimirum (ut habetur *ex Clem. finali*) colore, eo quomodo diverſi coloris uterque ſit: aut ſciſſura, ut in ordine Minorum novitii deferunt tunicam ſine caputio; profeſſi autem cum caputio: aut forma, ſeu figura; ut ſi novitii deferant breviorem habitum, aut cum aliquo externo ſigno Crucis, funiculi, aut panni alligati, aut appenſi. Secundus habitus eſt diſtincti; quando ſcilicet aliqua utriuſque habitus diſtinctio eſt, ſed omninò latens. Sicut quia habitus profeſſorum quibuſdam peculiaribus benedictionibus conſecrari ſolet, non autem novitiorum: aut quia illis datur habitus in certo loco, vel à certo ſuperiori; his verò in alio loco, vel ab alio ſuperiori. Tertius habitus eſt indiſtinctus; quando nimirum neutra diſtinctione differt uterque habitus: at diſtinguitur ab habitu, quem geſtant alii religioſi communem vitam cum religioſis agentes. Ultimus eſt indiſtinctiſſimus; quando ſcilicet, omninò eodem habitu utuntur profeſſi, & novitii, & reliqui tum clerici, tum laici cum eis communem vitam tranſigentes. Quales eſſe ſolent clerici, qui vocantur monachorum capellani, & laici adminiſtri, ſive famuli monachis inſervientes.

14 Secundò, præmittendæ ſunt quinque conditiones generaliter petitæ ad cujuſcumque profeſſionis tacitæ valorem. Prima eſt, ut actus: per quem tacita profeſſio induci debet, fiat auctoritate, & conſenſu ejus, cujus eſt in eam religionem admittere. Ratio eſt, quia nec profeſſio expreſſa poteſt abſque dicto conſenſu firma eſſe (ut probavimus *c. ſequenti num.* 62.) Ergo à fortiori nec tacita. Eadem enim, & par eſt ratio taciti & expreſſi: nec tacitum plus operari poteſt quàm expreſſum, ut tradunt *omnes Scribentes l. cum quid ff. ſi certum petatur*. Et ratio eſt, quia profeſſio tacita eatenus vim habet, quatenus inde vera profeſſio præſumitur. Quoties ergo ex aliquo defectu profeſſio expreſſa, quæ vera eſt, nequit valere; à fortiori nec tacita, quæ eſt præſumpta, valere poterit. Nam (ut optimè docet *Navarr. lib. 3. conſil. tit. de regul. in 1. editione, conſ. 5. num. 15. in 2. conſil. 26. num.* 15.) cùm cæteris paribus difficiliùs dignoſcatur conſenſus tacitus, quàm expreſſus, multò faciliùs cognoſcitur actum non valere ex conſenſus taciti defectu, quàm ex defectu expreſſi. Et ita hanc conditionem tradunt *Abbas c. vidua nu. 5. de regular. Card. c. porrectum, in fine, eodem tit. Sylv. verbo religio 3. qu. 19. initio Roſella verb. novitius nu.* 18. ubi *Angelus num.* 13. *Tabiena qu. 5. num. 6. Armilla num. 7. Navarr. commentario 4. de regularibus num. 73. & 74. Manuel Quæſt. Regularium, tomo 3. quæſt. 17. art. 1. Azor. lib. 12. Inſtit. Moral. c. 2. qu. 3. & c. 4. q.* 3. Quare dum *Bartolus authentica ingreſſi nu. 6. C. de ſacroſ. Eccleſ.* ait in profeſſione expreſſa exigi factum Abbatis, non autem in tacita; non ita intelligendus eſt, ut ſola expreſſa petat conſenſum Abbatis potentis admittere ad religionem. Sed diſcrimen in eo verſatur, ut expreſſa deſideret factum aliquod Abbatis quod admittat: at tacita contenta ſit ſola ſcientia, & patientia potentis admittere; ut optimè explicat *Cardin. nuper* allegatus, dicens in his favorabilibus, quale eſt religionis inſtitutum capeſſere, ſatis eſſe hanc ſcientiam, & patientiam. An verò hoc exigatur, quando profeſſio expreſſa irrita ratificatur per profeſſionem tacitam, dicemus *c. ſequenti, nu.* 81.

15 Secunda conditio eſt, ut ſpontanea voluntate fiant ea, per quæ profeſſio tacita eſt, inducenda. Habetur expreſsè *c. vidua, de regul.* & conſtat ex ratione tradita *nu. præcedenti.* Si enim metus gravis profeſſionem expreſſam irritam reddit (ut latè probavimus *lib. 4. c. 3.*) nedum tacitam reddet irritam. Et ita tradunt univerſi.

16 Tertia conditio eſt, ut ea ſcienter fiant, nempè, ut iis actibus utens norit eos ad ſolos profeſſos pertinere. Quia cum hæc profeſſio tacita præſumatur ex tacito utentis conſenſu, quo vult iis ſignis profiteri, data ignorantia ceſſat ejus conſenſus præſumptio. Atque ita docent univerſi *Auctores num. 14. allegati*. Imò & requiritur iis utentem noſſe per illos induci tacitam profeſſionem. Quippe ejus rei ignorantia efficit deeſſe conſenſum tacitè profitendi. Et ita docent *Sylv. verbo religio. 3. q. 19. verſ. ſecundò inducitur. Angelus, Tabiena, Armilla, Navarr. Manuel allegati nu.* 14.

17 Quarta conditio eſt, ut iis actibus utens verum profitendi animum habeat. Cùm enim profeſſio expreſſa contrario conſenſu exiſtente ſit irrita, à fortiori erit tacita, juxta dicta *num.* 14. Nec ſatis erit ſe habere negativè, nempe nec habendo animum profitendi, nec non profitendi, ſed poſitivus profitendi per eos actus animus deſideratur; ut optimè docet *Navarr. commentario 4. de regular. n.* 75. Quia ii actus eatenus profeſſionem tacitam inducunt, quatenus internum profitendi animum indicant. At in habente ſe negativè nullus eſt internus profitendi conſenſus.

18 Ultima conditio eſt, ut iis profeſſorum actibus utens, ſit conſtitutus in legitima ætate jure petita ad profeſſionis expreſſæ valorem. Quæ eſt pubertas completa. Conſtat ex *c. conſtitutionem, de regul. in* 6. & tandem ex omnibus cauſis, ex quibus toto *c. ſequenti* dicemus profeſſionem expreſſam reddi irritam, reddetur à fortiori irrita profeſſio tacita; ut probat ratio *nu.* 14. adducta.

19 His præmiſſis, dupliciter jure antiquo poterat emitti profeſſio tacita. Prior modus eſt per exercitium actuum, qui profeſſorum proprii ſunt; poſterior per habitus profeſſorum delationem.

20 Prior ergo modus eſt, quando ſervatis quinque conditionibus expreſſis à *num. 14. uſque ad* 18. quiſpiam ſe propriis profeſſorum actibus ingerit. Cùm enim actus ii ſint profeſſis proprii, eo ipſo cenſetur profiteri velle, qui ſciens & prudens ſpontè ſe illis cum aliis profeſſis ingerit. Habetur *c. vidua, de regular.* Sufficit autem ſive jure, ſive ſola illius religionis conſuetudine, ii actus ſint profeſſorum proprii. Conſtat ex *eo c. vidua*, ubi ponderatur ad tacitam cujuſdam fœminæ profeſſionem, eam inter moniales profeſſas oblationem quamdam obtuliſſe, cùm tamen (ut teſtantur ibi *Gloſſa verbo oblationem, & Innoc. nu.* 5.) ſola religionis illius conſuetudine competeret ſolis profeſſis. Atque ita docent ibi *Abbas num. 6. Sylv. verbo religio 3. q. 19. verſ. primò ergo. Angel. verbo novitius nu.* 12. ubi *Tabiena q. 5. nu. 6. Armilla nu. 7. Azor. lib. 12. Inſtit. Moralium c. 4. qu.* 3.

21 Dubiæ autem quæſtionis eſt, an ad hujuſmodi tacitam profeſſionem requiratur tridui perſeverantia in eo actuum exercitio? Affirmant quidam: quo ea tridui perſeverantia petatur *c. ad noſtram, de regular.* ad tacitæ profeſſionis ex habitus profeſſorum delatione præſumptionem. At eadem eſt ratio de prædicto actuum exercitio. Alii autem negant. quia id non petitur *eo c. vidua*. Sic *Azor. num. præcedenti* allegatus. At ſic utraque ſententia eſt concilianda. Si concurrant hæc duo, nempe, aſſumptio habitus peculiaris profeſſis, & exercitium actus illis ſolis, ſive jure, ſive conſuetudine competentis, non exigitur tridui perſeverantia. Et ſic procedit *d. c. Vidua.* quod ad eam profeſſionem præſumendam, ponderavit aſſumptionem habitus, & oblationem cum aliis monialibus, quæ ſolis profeſſis competebant, ac nulla tridui mentio fit. Quod ſi alterutrum ſolùm ex his concurrat, opus eſt ea tridui perſeverantia. Atque ita procedit textus *d. c. ad noſtram*. Et ita docent *Anton. eo c. vidua num.* 11. & ibi *Abbas nu. 7. Roſella verbo novitius, nu. 16. Angelus, Sylveſt. Tabiena, Armilla allegati num. præcedenti. Navarr. commentario 4. de regular. nu.* 73. Quod benè intelligunt *Angelus, Sylv. Tabiena, Armilla* ibi, ſi habitus ille profeſſorum diſtinctus eſſet diſtinctione patente ab habitu novitiorum, eo modo quem *nu.* 13. explicuimus.

22 Imò, & in profeſſione expreſſa non præmiſſo novitiatus anno, affirmat *Innoc. c. ad noſtram num. 2. & 3. de regul.* exigi eam tridui perſeverantiam. At jure optimo id reprobat *Abbas ibi nu.* 4. Quia textus ille eam petens loquitur de ſola profeſſione tacita, & quia poterat dubitari quo animo habitus ille deferretur, petita eſt tridui perſeverantia. Quæ animi dubitatio in profeſſione expreſſa non militat, & ideo nulla temporis mora deſideratur.

23 Rurſus dubitatur, an ſit opus eos actus profeſſorum exercentem eſſe novitium? Quidam exigi affirmant. Nam alioquin clericus ſæcularis actibus profeſſorum ſe ingerens, cenſeretur profeſſus. Item quia cùm deſit fundamentum ingreſſus religionis, cenſeretur ille tamquam ſæcularis eos actus exercere. Ita docent *Abbas c. vidua. nu. 7. de regul. Roſella verbo novitius nu.* 16. At ita diſtinguendum eſt. Si quis actibus profeſſorum ſe ingerat ſine proprio profeſſorum habitu, exigitur ut ſit novitius: ſecus ſi utrumque concurrat. Quippe *eodem cap. vidua*, ubi utrumque concurrit, nulla novitiatus mentio fit. Atque ita docent *Sylv. verbo religio 3. quæſtion. 19. verſ. primò ergo Navarr. commentario 4. de regul. num.* 73.

24 Poſterior tacitæ profeſſionis modus eſt, cùm quis ſciens, & prudens defert ſpontè triduo diſtinctiſſimum profeſſorum habitum, nempe, qui eſt patenter diſtinctus modis, quos *nu.* 13. explicuimus. Habetur expreſsè *c. ad noſtram, de regularibus, & c. conſtitutionem, eodem tit. in* 6. & docent omnes. Quod quantum ad tridui perſeverantiam, intelligitur dummodò ſimul non exerceatur aliquis profeſſorum actus, ut diximus, *nu.* 21. Inſuper deſideratur concurrere quinque conditiones declaratas à *nu. 14. uſque ad* 18. Atque eam tridui perſeverantiam dicit *Gloſſa eo c. ad noſtram, in fine*, ideo peti, quia prope pueritiam, nec præmiſſo novitiatu habitus ſuſceptus eſt. Sed meliùs *Abbas* ibi in fine dicit, hoc non eſſe in pueris ſpeciale, ſed generaliter procedere, quoties non præmiſſo novitiatu, habitus profeſſorum ſuſcipitur. Quare ſuſceptus poſt novitiatus annum, non indiget tridui delatione ad profeſſionem tacitam inducendam; ut clarè conſtat ex *c. non ſolum, in fine, de regular. in* 6. & tradunt *Gloſſa* ibi, *verbo infrà probationis, Abb. eo. c. ad noſtram, in fine*, & conſtat ex eo textu, ibi: *Habitum ſine probatione ſuſceperit, & infra triduum depoſuerit.*

27 Non exigitur autem eum habitum in monaſterio deferri:

ferri: ſed ſatis eſt intra, aut ex licentia Abbatis extra deferri. Quia deferens eum extra ex Abbatis licentia, cenſetur illum intra deferre; ut benè tradit *Abbas c. ex reſcripto num. 5. de jurejur.* & docent auctores ſtatim allegandi. Ita tradunt idem *Abbas c. ad noſtram nu.3. de regular. Sylv. verbo religio 3. q.19. verſic. ſecundò inducitur Angelus verbo novitius num.12. ubi Tabiena q.5. num.6. Navarr. commentario 4. de regularibus num.74. notabili 3. & lib.3. conſil. tit. de regularibus, in 1. editione, conſ.41. num.2. in 2. conſil.43. num.2. Azor. lib.12. Inſtit. Moralium c.4. q.3. & c.3. qu.7. Manuel 9. Regular. tomo 3. q.17. art.1.*

26 Aliqui excipiunt duplicem caſum, in quo ea tridui perſeverantia non exigitur. Prior eſt, ſi ille profeſſorum habitus tempore morbi aſſumatur: quippe tunc videtur cum deliberatione ſuſceptus. Poſterior eſt, quando quiſpiam religionis ingreſſum voverat, & ingreditur recipiendo incontinenti habitum profeſſorum; quia videtur deliberatè feciſſe. Utrumque docent *Joann. Andr. c. ad noſtram nu.2. de regular. & ibi Anton. in fine.* At jure optimo de utroque caſu dubitant *Abbas ibi nu.5. & Roſella verbo novitius, num. 13.* & in partem contrariam inclinant, & utrumque caſum reprobant *Francus c. conſtitutionem, de regular. in 6. Angelus, Sylv. Tabiena, allegati in nu.præcedenti.* Quia indiſtinctè ea tridui perſeverantia petitur *eod. c. conſtitutionem, & eodem cap. ad noſtram.* Atque in infirmitate minor eſt deliberatio.

27 Cæterùm hæc tacita profeſſio per triduum habitus delationem non præmiſſo novitiatus anno, minimè obligat ſpecialiter illi religioni, cujus habitus ſuſceptus eſt; ſed religioni in genere, ut expreſſè decidit *c. conſtitutionem in fine. de regular. in 6.* & tradunt omnes. Quare licebit huic eligere religionem quamcumque laxiorem, ut benè docent *Abbas c. ad noſtram nu.5. de regular. Roſella verbo novitius num.14.* At ſuſceptio hujuſmodi habitus præmiſſo novitiatus anno inducit tacitam profeſſionem obligantem ſpecialiter religioni: ut benè docet *Alex. de Nevo c. conſuluit nu.14. qui clerici. vel vov.* Quia id *cap. conſtitutionem*, loquitur expreſſè de profeſſione tacita tempore novitiatus ſic inducta. Nec hæc præmiſſo novitiatus anno indiget tridui perſeverantia; ſicut *nu.24.* probavimus.

28 At dubitatur, an ea profeſſio tacita obligans ſoli religioni in genere, habeat vim voti ſolemnis dirimentis ſubſequens matrimonium? Multi affirmant, quos retulimus *lib.7. de matrim. diſp.25. nu.22.* At contrarium ſatis ibi probavimus, nec ſolius voti ſimplicis religionis vim habere: & hoc ante decretum Tridentini (prout hucuſque loquimur,) & id etiam modo approbamus.

29 Sed adhuc dubium reſtat, an ea religio, quæ tacitam profeſſionem hanc admiſit, teneatur illum ſic profitentem admittere? Et dicendum eſt teneri, quamvis ipſe non teneatur ad eam præciſè, ſed ad eam, vel ad aliam. Ita affirmant *Sylv. verb. religio 3. q.20. Angelus verbo novitius, n. 14. & ibi Tabiena qu.6. nu.7. Armilla, nu.8. Azor. lib.12. Inſtit. Moralium c.4. q.5.* Ducunturque *Angelus, Sylv. Tabiena, Armilla* ibi: quia cum hic ſit verè profeſſus, & nulla alia religio teneatur eum admittere, ſi illa non teneretur, poſſet in ſæculo manens inire matrimonium. Sed hæc ratio non placet: quia verius eſt, hunc non eſſe legitimè profeſſum ut diximus, *nu.præcedenti.* Quare legitima ratio eſt, quam tradit *Azor.* ibi. Quippe ex quo monaſterium tacitam illius profeſſionem admiſit, cenſetur illi obligari: & ſibi imputet, ſi jure ita determinante, alter non ſibi, ſed religioni in genere obligetur.

30 Quando autem habitus novitiorum patenter à profeſſorum habitu diſtinguitur, per nullam cujuſcumque temporis delationem talis habitus novitiorum profeſſio tacita inducitur. Quia potiùs is habitus manifeſtum præbet indicium voluntatis permanendi in novitiatu. Et ita colligitur ex *Clem. finali, de regular.* ubi id docet *Gloſſa verbo deinceps. Abb. c. ex parte, nu.3. de regular. Angelus verbo novitius, nu.12. ubi Tabiena q.5. nu.6. Sylv. verb. religio 3. q.19. verſ. tertiò inducitur. Navarr. commentario 4. de regular. num.74. Azor. lib.12. Inſtit. Moral. c.4. qu.3.* Quod intelligitur, quando ſola ejus habitus delatio adeſt. Quia ſi deferens eum habitum, perſeveraret triduo exercens aliquem actum profeſſis ſolis competentem, eſſet tacitè profeſſus. Cùm dato eo tridui ſpatio, ſufficiat delatio habitus profeſſorum, aut exercitio horum actuum vacare ut *n.21.* diximus. Et ita advertit *Alex. de Nevo c. conſuluit, nu.13. qui clerici, vel voventes.*

31 Quod ſi habitus profeſſorum ſola diſtinctione latenti ſecernatur à novitiorum habitu, modo quem, *nu.13.* explicuimus, tunc per annuam illius delationem completa pubertate, inducitur profeſſio tacita obligans illi religioni, cujus eſt habitus. Habetur expreſſè *Clem. finali, de regular.* ibi. *Eos qui deinceps in diſcretionis conſtituti ætate, novitiorum habitum in aliqua religione per annum portaverint, hoc ipſo religionem illam decernimus eſſe profeſſos: niſi hujuſmodi habitus in colore, ſciſſura, vel forma, ſe diſtinctum patenter exhibeat ab habitu profeſſorum.* Hæc autem diſcretionis ætas in eo textu petita, eſt pubertas omninò completa, nec malitia ſupplet ætatem; ut benè docent ibi *Gloſſa verb. ætate, Imola, num. 5.* & nemo contradicit. Quia jure antiquo eam ætatem peti ad profeſſionis expreſſæ valorem, nec malitiam ſupplere ætatem, probabimus *c.ſequenti nu.4.* Nec ſufficit cœpiſſe ante pubertatem deferri illum habitum, & pubertate adepta annum conſummatum eſſe: ſed integer delationis habitus debet eſſe poſt pubertatem. Quia id indicant ea verba *d. Clem. finalis in diſcretionis ætate portaverint*, & docent ibi *Gloſſa verbo portaverint, & ibi Imola, nu.2.* Inſuper petitur in eo textu, habitum portari in religione per Sedem Apoſtolicam approbata: quare ſecus eſſet, ſi extra religionem portaretur. Atque ita docent ibi *Gloſſa verbo in aliqua, & ibi Imola num.5. Abbas c. porrectum nu. 8. de regular.* Intellige tamen, niſi extra religionem deferretur ex Abbatis licentia ut diximus, *num.25.* Atque ita docent *Angelus verbo novitius, num.12. Sylv. verbo religio 3. qu. 19. verſ. tertiò inducitur.* Annus autem iſte, quo hic habitus defertur, debet eſſe integer; ut conſtat ex *c. 1. de regular. in 6.* ibi, *quod ſi totum*. Non tamen oportet excedere annum, & anno illi addere diem: quia textus ſolùm annum petit; & cùm voluit anno addi diem, nempè, ut integrum eſſet impuberem à religione revocare, id expreſſit *c. puella 20. quaſt. 2.* Atque ita docent *Gloſſa ea. Clem. finali, verbo per annum, & ibi Imola, numer.6. Palud. 4. d. 38. q.2. num.15. Divus Antoninus 3. parte tit.16.c.3. paulò poſt princip. Sylv. verbo religio 3. q. 3. dicto 2. & q. 19. verſ. tertiò inducitur. Navarr. commentario 4. de regular. nu.74. notabili 3. Palacios 4. d. 38. diſp.1. fol.824. initio. Henriquez lib. 13. de excommunic. c.40. nu.2. Manuel Quaſt. Regularium, tom.3. q. 15. art.4. & in 2. tomo Summa c.8. nu. 7.* Quare minus benè *Angelus verb. novitius, nu.12. & ibi Tabiena q.5. nu.6.* dixere hunc fieri profeſſum deferendo habitum ultra annum. Quia ſatis eſt toto anno deferre. Unde benè ait *Sylv.* nunc fieri profeſſum tacitè in ultimo ejus anni inſtanti. Excipiunt benè *Sylv. ea. q.19. verſ. tertiò inducitur. Manuel ea. qu.15. art. 3. initio, & eo c.8. nu.7. Henriq. lib.10. de Sacramento ordinis c. 19. num.2. in commento, litera K.* annum biſſextilem, in quo duplex dies pro una reputantur, & conſtabit magis ex dicendis *c. ſequenti num.4.* Nec ſufficit ultimam anni diem cœpiſſe, ſed debet annus integer de momento ad momentum compleri; ut benè docet *Manuel eo art. 4.* & latè probavimus *lib.2. de matrim. diſp.24. nu.22.* Tandem is annus debet eſſe continuus: quia quoties certum aliquod tempus jure aliquo petitur, id debet eſſe continuum; ut probavimus *c. ſequenti nu.31.*

32 Similiter quando habitus profeſſorum, & novitiorum eſt omninò indiſtinctus: quia, nimirum, nec differentia patenti, nec occulta diſtinguitur, at non eſt communis aliis ſæcularibus communem vitam tranſigentibus cum religioſis, inducitur profeſſio tacita per illius habitus delationem in monaſterio, per integrum annum poſt pubertatem, etſi ante pubertatem aſſumptus fuerit. Itaque nil refert, qua ætate habitus aſſumptus fuerit, dummodò poſt pubertatem deferatur integro anno. Habetur expreſſè *c.1. de regular. in 6.* & docet *Abb.* ab omnibus receptus *cap. ex parte numer.3. de regular.*

33 Tandem ſi habitus uterque ſit indiſtinctiſſimus: quia, nimirum, abſque ulla prorſus differentia eo utuntur profeſſi, & novitii, & ſæculares communem vitam cum illis agentes modo explicato, *num.13.* inducitur profeſſio tacita per annuam illius delationem in monaſterio, dummodo talis habitus poſt pubertatem aſſumptus fuerit. Atque ita differt hic caſus à præcedenti, quod in præcedenti ſufficiat habitum ante pubertatem aſſumi, dummodò poſt pubertatem anno integro deferatur. At in hoc exigitur poſt pubertatem eum aſſumi, & deferri tunc integro anno. Habetur expreſſè *eodem c.1. de regular. in 6. verſ. qui verò*, & ita docent *Abbas c. ex parte nu.3. de regular. Cardin. Clem. finali, nu.3. eodem tit. & ibi Anchar. nu.3. Imola, num.3. Sylv. verbo religio 3. q.19. verſ. tertiò inducitur.* Quare minùs bene *Navar. commentario 4. de regular. num. 74. & Azor. lib. 12. Inſtit. Moralium c.4. qu. 3. in fine*, dicunt *id c. 1. de regular. in 6.* correctum eſſe per *Clementinam finalem de regular.* quæ indiſtinctè decidit, per annuam habitus delationem induci profeſſionem tacitam, dummodò habitus profeſſorum, & novitiorum non diſtinguatur diſtinctionem patenti. Quippe dicendum eſt, eam Clementinam ut bene advertit ibi *Gloſſa verbo portaverint*, intelligendam eſſe juxta diſtinctionem traditam *eo. c. 1.* ut vitetur juris correctio. Quam omninò vitandam jura clamant.

34 Alium profeſſionis tacitæ caſum ſtatuunt aliqui Doctores, nempè, dum quis novitiorum habitum ſuſcipit animo vitæ mutandæ, affectus, ſcilicet, voluntate perpetuò manendi in religione. Ducuntur ex *c. ſuper eo conſulti, & cap. ſtatuimus, de regular. & ex c. beneficium eo. tit. in 6.* Hujus auctores retulimus *lib.9. de matrim. diſp. 33. nu.18.* & alios dicentes id eſſe votum ſimplex. At ibi, *num. 19.* contrarium probavimus, ubi nec votum ſimplex eſſe diximus, & textus contrarios explicuimus.

35 Demum circa has profeſſiones tacitas dubitatur; an proteſtatio contraria proſit, nimirum, ea qua utens iis actibus, per quos inducuntur, proteſtatur, ſe nolle per eos profiteri. *Hoſtienſis* relatus per auctores allegandos ait, eam proteſtationem non prodeſſe, ſed ſequutis poſtea iis actibus præſumi ab ea receſſum. Quod proteſtatio facto contraria, nec alteri parti intimata, minimè proſit; ut latè probavimus *lib.2. de matrim. diſp.45. à nu.19.* At dicendum eſt prodeſſe. Quippe non eſt proteſtatio facto contraria: ii enim actus non ſunt expreſſæ profeſſionis, & ita facto ipſo profeſſionem exprimentes, ſed ex iis præſumptio animi profitendi inducitur. Quare ea proteſtatio ſoli præſumptioni conſenſus adverſatur, & verum animum utentis iis actibus indicat: & ideo jure optimo valet. Atque ita docent *Gloſſa Clem. finali, verbo profeſſorum, de regular.* & ibi *Cardin. nu.6. Anchar. num.4. Imola nu.8. Bonifacius num. penultim. Sylv. verbo religio 3. qu.19. verſ. tertiò inducitur. Roſella verb. novitius num.17. Armilla ibi nu. 10. Tabiena qu.7. nu.8. Navarr. commentario 4. de regularibus nu. 74. notabili 3.* Quando autem eſſet profeſſio expreſſa, quid, & quando proſit ea contrarii diſſenſus proteſtatio, latiſſimè diximus *ea. diſp.45. à num.19. uſque ad 24.*

36 Hactenus diximus quid jure antiquo attento cenſendum ſit de tacitis profeſſionibus. Reſtat dicendum quid cenſendum ſit attento decreto *Tridentini ſeſſ. 25. de regular. c. 15. & 16.* Qua in re dicendum eſt, per illud non tolli profeſſiones tacitas, ſed in ſuo priſtino valore manere: dummodò inducantur tranſacto novitiatus anno, & expletis ſexdecim ætatis profitentis annis. Quippe nullum eſt verbum in iis decretis eas tollens: nam *cap. 15.* tantùm decernitur profeſſionem non valere ante expletum novitiatus annum, & ſexdecim ætatis profitentis annos. At profeſſio tacita poteſt fieri iis ſervatis. Et quamvis *c.15.* Superiores jubeantur tranſacto novitiatus anno admittere ad profeſſionem novitios repertos idoneos, & alios expellere: quod ſtatuere videtur ad excludendam profeſſionem tacitam, ne temporis tranſcurſus allegari poſſit. At id non obſtat: tum quia in ultimo illius anni inſtanti poteſt fieri profeſſio tacita *ut n. 24.* diximus, & ita ſervato hoc Tridentini decreto, poteſt induci: tum etiam, quia poteſt dari cauſa juſta amplioris dilationis, ut dicemus *c. ſequenti, num.21.* Nec ita ſtrictè accipiendum eſt, ut non liceat triduo expectare, & ſic poſſet induci profeſſio tacita: eo vel maximè quod ut diximus, *n.24.* ea tridui mora non eſt neceſſaria ad inducendam profeſſionem tacitam, quando annus novitiatus eſt peractus. Atque ideo hanc partem ſuſtinent *Navarr. lib.3. conſil. tit. de regularibus in prima editione, conſil.45. num.5. in 2. conſil. 28. n. 5. Menochius conſ.396. nu.12. volumine 4. Palacios 4. d. 38. diſp. 1. columm. 32. verſic. porrò autem. Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium, verbo novitius, poſt 3. notabil. §. primò aliquid operetur, Manuel 2. tomo ſumma c.8. nu. 1. & quaſt. regul. tomo 3. quaſt.17. art. 1. in fine, & art.2. in fine, Azor. lib. 12. inſtitut. moral. c.4. quaſt. 6. Humada l. 7. tit. 7. par.1. gloſſa 3. num.1.*

37 Hinc deducitur, ſublatam eſſe per Tridentinum tacitam profeſſionem inductam per *c. vidua, & c. ad noſtram, de regular.* de qua diximus *à num.20. uſque ad 29.* eam, nempe quæ inducitur ſtatim delato habitu profeſſorum diſtincto patenter à novitiorum habitu, cum exercitio actuum profeſſorum, vel altero horum concurrente cum tridui perſeverantia. Quia Tridentinum *eo. c.15.* petit integrum novitiatus annum, & ita docet *Azor. ea qu.6.* Sed poſſent habere locum ii textus, quando tranſacto integro novitiatus anno, expletiſque ſexdecim annis, quis indueretur habitu profeſſorum diſtincto patenter a novitiorum habitu: vel unà cum aliis profeſſis exerceret actum, jure, vel conſuetudine ſolis profeſſis competentem. Tunc enim concurrentibus quinque conditionibus relatis *à num.14. uſque ad 18.* eſſet tacitè profeſſus. Quia tunc decreto Tridentini non contravenitur, nec deſideraretur tunc tridui perſeverantia in exercitio actus profeſſorum, vel eorum habitus delatione. Quia jure communi ea non petebatur, quando annus novitiatus præceſſerat; ut probavimus, *num.24. in fine.*

38 Secundò deducitur, non eſſe ſublatam profeſſionem, quæ jure communi inducebatur per annuam delationem habitus novitiis, & profeſſis communis, quando uterque aut nulla, aut ſola latente differentia diſtinguitur: aut quando etiam habitus ille eſt communis aliis viventibus cum religioſis. De qua egimus *num. 32. & duplici ſequenti.* Quia jam datur integer novitiatus annus, & poteſt id contingere expleto decimoſexto ætatis anno. Ita docet *Azor. ead. qu.6.*

39 At jure optimo dubitari poteſt, an hæc annua habitus delatio, per quam profeſſio tacita eſt inducenda, debeat eſſe poſt decimum ſextum annum completum, ſive antea aſſumatur habitus, ſive poſtea, quando habitus non eſt communis aliis degentibus cum religioſis, ſed ſolis profeſſis, & novitiis: & aſſumptus neceſſariò poſt decimum ſextum annum, & tunc integro anno delatus, quando habitus eſt etiam communis aliis degentibus cum religioſis? Ratio dubitandi eſt, quia in priori caſu petit textus *c. 1. de regular. in 6.* ut annus delationis habitus numeretur à tempore pubertatis completæ, etiamſi antea aſſumptus fuerit: in poſteriori autem ut aſſumatur poſt pubertatem completam, & tunc anno integro deferatur, ut diximus, *nu. 31. 32. & 33.* Atque redditur ibi hujus ratio, quia ante pubertatem completam non habet puer plenum eorum, quæ agit, intellectum: & judicavit textus hunc plenum intellectum in pubertate, eo quod ea ætas erat apta, & jure communi petita ad profeſſionis valorem. Cùm ergo Tridentinum eam ætatem innovarit, & judicaverit ſolam ſexdecim annorum eſſe aptam profeſſionis valori, & judicium plenum ad hunc effectum tunc eſſe; cenſetur quoque exigere, ut ex tunc incipiat annua hujus habitus delatio, & aſſumptio eo modo quo ad id petebatur jure communi pubertas. Item quia etſi ultimum valoris profeſſionis complementum ſit in illius anni fine, at toto anno eſt in fieri, & incipit actus profeſſionem inducens. Ergo toto eo anno debet neceſſariò eſſe ætas completa petita per Tridentinum. At veriùs exiſtimo, non eſſe opus deferri, vel aſſumi habitum poſt ſexdecim annos, ſed ſatis eſſe, eam annuam habitus delationem, per quàm profeſſio tacita inducitur expleri completis ſexdecim annis. Quia Tridentinum tantùm ſtatuit ne profeſſio valeat ante ſexdecim annos expletos. At tunc profeſſio incipit valorem ſuum ſortiri, cùm annus ille delationis hujus habitus impletur. Ergo ſatis eſt, tunc habere ſexdecim annos: quod ſi impleto eo anno nondum illos habeat, quia ſtatim quando implevit pubertatem, aſſumpſit, ſatis erit ſi continuetur uſque ad decimum ſextum annum, & ſtatim, quando ille completur, incipiet profeſſio valere. Quippe correctio juris eſt omninò vitanda, ubi ea non apparet apertè. Item quia ideo petit ſexdecim annos expletos ad profeſſionem, ut plenè cognoſcat profitens quid agat, ac vinculum, quo adſtringitur. Ergo ſatis eſt, ut eam ætatem profitens habeat, cùm primùm incipit eo adſtringi. Quod eſt expleta annua delatione poſt ſexdecim annos. Item quia olim, & ad legitimum novitiatum, & ad profeſſionem pubertas deſiderabatur, & ſufficiebat: quia antea non erat plenus intellectus ad religionem experiendam, & capeſſendam. Et tamen quamvis Tridentinum mutarit profeſſionis ætatem, petens ſexdecim annos completos, non ideo cenſetur mutaſſe ætatem ad novitiatum jure communi petitam, etſi ex inceptione novitiatus ſit profeſſio quaſi in fieri. Ergo idem dicendum eſt in noſtro caſu, & ex his conſtat ſolutio ad contraria. Et ideo hanc partem ſuſtinet *Navarr. lib.3. conſil. tit. de regular. in 1. edit. conſil. 30. num. 1. in 2. conſ. 20. nu. 1.*

40 Quod ſi in aliqua religione eſſet ſtatutum, vel conſuetudo præſcripta, ut liberum ſit novitios ante profeſſionem expreſſam expellere, nulla tacita profeſſio valeret. Quia eſſet diſſenſus ex parte admittentis. Item quia ea libertate gaudet novitius ad exeundum, qua conventus ad expellendum. Atque idem eſt dicendum, ſi conſtaret expreſſa, vel tacita conventus voluntate non admittendi niſi expreſſè profeſſos. ut utrumque benè docet *Navar. libro 3. conſil. tit. de regularibus, in 1. editione conſ. 30. num. 3. in 2. conſil. 20. num. 3.*

CAPUT IV.

Ex quibus cauſis reddatur profeſſio tacita irrita.

SUMMARIUM.

Quot quaſtiones diſputanda ſint, num.1.

Jure communi opus erat pubertate ad profeſſionem, nec malitia ſupplebat ætatem nu.2.

An in religionibus Inſularum, Minimorum, & Prædicatorum, deſiderabatur ad valorem profeſſionis ætas octodecim annorum? num.3.

Attento Tridentino petitur ætas ſexdecim annorum: non ſat eſt ultima dies cœpta, eſtque de momento ad momentum computanda: & qualiter in anno biſſextili computetur, nu.4.

An annus ex quo Gregorius XIII. abſtulit decem dies cenſeatur integer ad ordines, profeſſionem, novitiatum, beneficia? nu.5.

An in minimorum religione valeat profeſſio ante octodecim annos? num.6.

An vota biennii in Societate JESU valeant ante ſexdecim annos? nu.7.

An profeſſio ante novitiatus annum facta valuerit jure communi: & an eſſent ſuſpenſi admittentes ad illam in ordinibus Mendicantibus: & fierent irregulares ſic ſuſpenſi celebrando? num.8.

An poſt Tridentinum ſit complendus annus novitiatus de momento ad momentum, & an ſit addenda dies etiam in anno biſſextili? nu.9.

An ſuſpenſio olim impoſita admittentibus ad profeſſionem ante integrum novitiatus annum, ſit ablata per Tridentinum? numero 10.

An ſponſus, vel ſponſa de præſenti tranſiens ad religionem, poſſit ante novitiatus annum profiteri? nu.11.

An profeſſus ad aliam religionem tranſiens, poſſit ante annum profiteri? nu.12.

An debeat profiteri in illa nova religione: & habeat ſedem juxta prioris profeſſionis antiquitatem? nu.13.

An quando vel ſola profeſſio fuit irrita, vel etiam novitiatus fuit irritus, ſit hic repetendus? nu.14.

An præficiendus certis monaſteriis in Abbatem, poſſit ante annum profiteri? nu.15.

An moniales Ordinis Prædicatorum poſſint profiteri in mortis articulo ante annum: & ſuccedat monaſterium in earum bona? num.16.

An profeſſio ordinum militarium exigat ſexdecim annos, & annum novitiatus? nu.17.

An poſſit renunciari anno novitiatus? refertur opinio, n.18.

Explicatur ſententia Auctoris, nu.19.

An ſimplicia biennii vota in Societate JESU valeant ante biennium novitiatus? nu.20.

An finito novitiatus anno liceat profeſſionem differre? nu.21.

Ætas ad novitiatum quæ ſit, & qualiter computanda etiam in anno biſſextili: & an malitia ſuppleat ætatem? nu.22.

An